

amicum, nec hostem posse à quoquam Romano verbum extorquere. Heu, inquit, miseri, quàm graues minæ, sub hoc silentio premuntur: Id quoque quàm verè præuiderit, subsecuta Samnitum strages duce Papyrio Curse, impositumq; iugum Pontio & legionibus testantur.

HANNO.

AT vt duos prouidos senes, de diuersis climatibus coniungam, Hanno Carthaginensis, vir apud suos spectatæ prouidentia, præferuidum Hannibalis ingenium, ab infantia contemplatus, semper suavitè continendum domi sub legibus, docendumq; ex æquo cum ciuibus suis viuere, abstrahendum ab exercitiis, ne in tempestiuo assuefactus Imperio, postquam ciuem dedidicisset, Tyrannum ageret. Id an salubriter præmoneret, declarauit exitus. Quanta enim cum Africæ Hispaniæque & Italiae ruina, quantòque populorum cum gemitu ac sanguine, impetrandi dulcedinem semel degustatam, perpetrare pæter ille nisus sit, tam notum est, vt commemoratione non egeat. Nouerat utique senex hic, alteram eius exilij partem, quod Pe-